



1630. 2. D. B. V. 1704 1705
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGUSTO,
PRINCIPE REGIO,
ET RELIQVA M
MEDITATIONES PROBABILES
DE
**INCESTIS CVM
NOVERCÆ MATRE
NVPTIIS** 151
PRÆSIDE
D. MICH. HENR. GRIBNERO,
PROF. PUBL.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTET
AUCTOR
**M. CHRISTIAN. SIGISMUNDVS
ROEHRENSEE,**
AD DIEM V. OCTOBR. CIC 15 CC IX.
VITEMBERGAE, PRELO CHRISTIANI GERDESII.

RECTORIS MONASTERICI TERRIMO

DN. FERDERICO AUGUSTO

PRINCIPIE ETATIO

MEDITATIONES PROBABILIS

INCENSUS-CAM
NOVERCÆ-MATRE
NAPLES

D. N. I. H. H. GRIBNERO

PICCIDO-BRADINGORUM EXVIMINI

M. CHRISTIAN SICISMUNDAS

ROTHENSEE

LITERAE-SAGA REX CHRISTIANI GERMANI



DE
INCESTIS CVM NOVERCÆ
MATRE NVPTIIS.

§. I.



Otissima juris regula est, *inter consanguineos mariti & uxoris nullam affinitatem contrahiri*, adeoque nec quicquam obstare, quo minus illi inter se matrimonio conjugantur. Nam licet JCTus in l. 4. s. 3. ff. de grad. viri & uxoris cognatos affines esse dicat, non ta-

Regula juris est: *inter consanguineos mariti & uxoris non intelligi affinitatem.*

men eos sibi invicem, sed viro quidem uxoris cognatos, huic illius consanguineos affinitate conjungi non obscure ostendit, dum, *affines ab eo dici*, subjicit, *quod duo cognationes ita copulentur, ut una ad alterius fines accedat*, quo ipso innuere videtur, non cognatis mariti cognitionem uxoris affinem esse, sed soli marito, perinde ac ager vicini non toti agro affinis est, sed fini saltim & extremitat. vid. CVIAC. ad c. 5. X. de Consangvin. & affin. B. ZIGLER. ad Lancell.

A 2

L. 2.

Notatur
Hotoman-
nus.

*L. 2. t. 13. §. 13. Verb. nulla intelligitur. ut vix rationem ha-
buuisse videatur HOTOMANNUS, dum in Tr. de cast.
& incest. nupt. P. 2. c. 1. p. 68. hæc obscure perquam &
præcisè a JCTo Rom. scripta esse queritur, qui & in eo
fallitur, quod §. 7. pro §. 3. citet, & ad Paulum referat
legein, quæ Modestinum habet autorem. Clarius ta-
men Pontifex rem exponit, qui in c. 5. X. de consangu.
& affin. disertis verbis, omnes quidem consangvi-
neos viri rescribit uxoris esse affines, & omnes coi-
sangvineos uxoris affines viri, inter consangvineos
autem viri & uxoris ex eorum conjugio nullam pror-
fus affinitatem contrahi, propter quam inter eos ma-
trimonium debeat impediri. Atque hinc est, quod
Doctores negent, contingere posse, ut unquam juve-
nis virginem recte & ex sensu nostri affinem salu-
tet. D. SCHOEPFER. ad ff. t. de Rit. Nupt. n. 38. Inde
duos fratres duabus sororibus jungi posse, & inter com-
privignos etiam tædas licitas esse, plerique sentiunt.
vid. §. 8. J. de Nupt. I. 34. §. 2. ff. de Rit. Nupt. Hinc ut ad
rem, quam impræsentiarum plenius paulo expen-
dendam mihi sumsi, absque ambagibus accedam, ju-
ris rationem non impedire putant, quo minus filius
fiat sacer patris, ac noverca sua matrem in matrimonium
ducatur.*

§. II.

Ex ea se-
quitur, fili-
um posse
noverca
matrem
ducere se-
cundum
jus Cano-
nicum.

Neque obscure hoc innuit Pontifex, qui in ci-
tato capite patrem & filium matri & filiæ jungi per-
mittit, quo ipso non modo inter comprivignos ma-
trimonium approbat, sed & mutato ordine filio ma-
trem, patri filiam nubere posse, innuit. Imo leges
Romanæ nominatim hujus conjunctionis tanquam
licitæ

licitæ ac legitimæ meminerunt. *Si vir & mulier, in-* & civile.
 quic Paulus in l. ult. §. 14. ff. de Gradib. ille filiam ejus du-
 xerit, illa filio ejus nupserit, qui ex patre adolescentis na-
 ti erunt ex matre puellæ natos fratris filios, illi eos
 patruos & amitas appellabunt. Quibus verbis has
 ipsas, de quibus agimus, nuptias describit & admittit.
 Atque hinc passim eas DD. absque hæsitatione per-
 missas pronunciant. Novissime V O E T I V S *Comm.*
ad ff. ad t. de Rit. Nupt. si pater filiam viduæ duxerit,
 nihil obstat, ait quo minus filius ipsam matrem du-
 cat, atque ita per nuptias fiat quasi patris novercæ-
 que pater. Gemina his apud H V B E R V M *Præl. ad J.*
L. 1. t. 10. §. 16. B R O V W E R . *de Jur. Connubior.* L. 2. c. 15. §.
fin. S A N D I V M L. 2. t. 1. def. 9. B E C H M A N N . *Comm. ad*
Paud. P. 2. Ex. 3. ad t. de Rit. Nupt. ff. tb. 25. num. 59. H O P P .
Comm. ad J. de t. de Nupt. rubr. de Computat. grad. §. 17.
p. 100. P A G E N S T E C H E R . *in Apborism. ad Inst. L. 1. t. 10.*
aph. 47. ut plures omittant alios, occurrunt. Vnus Refellitur
 omnium, quod sciām, (a) Franc. H O T O M A N N V S *de* dissentiens,
casib[us] incertisve nuptiis P. 2. c. 3. p. 89. nuptias cum vitri*cum* nec tamen
 aut novercæ matre jure Romano prohibitas censet, sibi satis
 certe censere videtur. Operæ pretium est ipsum au-
 diamus: *Neque cum privigna filia-vel nepte connubium*
esse potest leg. Aristo 40. D. de Ritu Nupt. neque eodem ar-
 gumento & analogia cum vitri*cum* noverca matre vel a-
 via. Ita ille. Vbi quare l. 17. C. de Nupt. ac l. 4. §. hoc ita-

A 3

que

(a) Nescio enim, an ejusd. erroris argui possit B E Z A qui de
 Divortiis p. 53. matrem noverca duci non posse in matri-
 monium contendit. Nam videtur ille Matris novercam di-
 cere voluisse, quod additum proprievigni vocabulum quo-
 dammodo ostendit. *adde Eund. p. 68. seqq.*

que in partes vocaverit Vir Clariss. non equidem intelligo, sed legem Aristo 40. & l. 14. §. f. D. d. Rit. Nupt. video quidem fefellisse HOTOMANNVM, sed parum tamen sententiam ipsius confirmare. Privignæ filiam ducere nos non posse certum est, non modo Aristo id ait, sed divina æque ac humana jura carent. Est enim ea instar privignæ & ipsa nobis. Ast idem argumentum ad novercæ matrem pertinere, ac analogiam juris aut Romani aut Canonici postulare, ut a privignæ filia ad matrem novercæ concludere liceat, id equidem non temere cuiquam, nisi cui verborum sonus & terminorum affinitas imposuerit, HOTOMANNVS persuaserit. Sane privignæ filia ac neptis non minus quam ipsa privigna vitrico primo, quod vocamus, affinitatis genere conjuncta est, quod ex schemate, quod adjicimus, cuivis appareat; concubuit enim vitricus cum matre vel a via ejus, adeoque cum & parentalis respetus & arctissimum affinitatis vinculum concurrant, merito ab ipsis nuptiis abstinemus; sed novercæ mater, si rem ex regulis juris civilis æstimnes, nulla prorsus affinitate nobis conjuncta est, cum ipsa quidem noverca in primo genere constituta sit, consanguinei vero ejus, ad quos & ipsa mater pertinet, consanguineis mariti non æque jungantur. Miror illa perspicaciam & acumen HOTOMANNI effugisse, inprimis, cum in eodem de cas. & incest. nupt. Opusculo P. 2. cap. 5. pag. 108. ubi de comprivignorum nuptiis Romani juris dispositioni singularis prudenter laudem tribuit, rectius quidem, sed veluti oblitus eorum, quæ modo ante scripsérat, tradat hoc argumen-

mento analogiam secutos pari eademque ratione fratre, patrem & filium, matrem & filiam posse ducere uxorem. add. Eundem p. 100. ubi ipse l. ult. §. tertio gradu ff. de Gradib. excitavit.

§. III.

Quamvis vero ab hac, quam modo exposuimus, sententia JCtorum Romanorum, Imperatores Orientis aliquando recessisse, ac hac ipsas cum novercae matre nuptias improbabile videantur (a) prævaluuit tamen tandem jus Justinianeum, quod & sequendum sibi Pontifex, ut vidimus, existimavit. Sed utecumque demum de iis utique juri nostro visum fuerit, ut ut licitas eas permittasque & Romani JCTi habuerint & Pontifices censuerint; alia tamen legislatoribus nostris sententia placuit, ut mirer Saxonicae quoque JCTos istam nostri & communis juris differentiam sicco fere omnes, quod ajunt, pede præterire; imo alios etiam, nullo jure prohibitas has esse nuptias, affirmare. vid. DN. THOMAS *Jurispr. Divin. L. 3. cap. 2. §. 228.* Etenim fatis clare damnant improbantque hujusmodi conjugia leges nostræ. Ita enim in *Ordinat. D. Augusti* que articul. general. d. ann. 1580. adject. est, & inter leges Saxonicas auspiciis ejusd. Elector. ann. 1583. editas pag. 183. extat. j. art. gen. 13. rubr. von denen Personen und Grazden / so von wegen der Schwägershaft, inter personas, que in linea recta jungi vetantur, expressis verbis continentur des Stiefvaters Mutter / der Stiefmutter Mutter / des Stiefvaters Vater / der Stiefmutter

Quas tam
men nu
ptias olim
Ecclesia O
rientis da
mnavit.
& Jus Sa
xon. Ele
ctorale
prohibet.

(a) Legi merentur, que eam in rem differit HOTOMANN d. Tr. cap. 5. add. LEVNCLAV. *Jus Græc. Rom. Tom. I. L. 8.* p. 481. seq. BEZA de Divort. pag. 09.

ter-Bater; quinimo & novercæ avia der Stiefmutter; Grossé-Mutter nominatim refertur inter eas, a quarum nuptiis nobis sit abstinentum. Atque hanc manifestam juris nostri dispositionem secuti sumus, dum hujusmodi conjunctionem, *incestum cum novercæ matre diximus*, quæ jure communi legitimi conjugii nomen habet. Secuti sunt Legislatorem nostrum Serenissimi Principes Anhaltini, qui in *emendata Ordinatione Politica t. 7. §. 8.* Solchen nach nun seynd von wegen der Schwiegerschaft/der Stiefmutter-Mutter & reliquas, quas modo ex Ordinatione Electorali commemoravimus, personas, in matrimonium ducre severe prohibuerunt; nec minus jus Provinciale Borussicum L. 2. t. 2. Von verbothenen und unzulässigen Ehen. art. 2. Von Personen und Graden/so von wegen der Schwiegerschaft. §. 1. inter prohibitas personas, easdem quas diximus, & nominatim §. 2. der Stiefmutter-Mutter collocavit. Similes forte Ordinationes alibi occurrunt, in quas inquirere nostri, qui ad jus Electorale Saxonum respicimus, non est instituti. conf. inter. BROUWER. l.c. in fin. qui ad art. 12. Ord. Pol. Holl. provocat, & GISEBERTVM Justin. Harmon. ad §. 6. J. de Nupt. num. 293. Atque has Ordinationes forte in animo habuit STRVVIVS, licet nullam earum mentionem faciat, dum in Jpr. Forens. L. 1. t. 6. §. 8. seq. propter affinitatem cum novercæ matre & iis, quarum eadem est ratio, matrimonium inniri posse negat. Nam si de jure communi intelligi voluit, incestuosam hanc conjunctionem, minus recte appellavit; unde Paraphrastes, qui in nostram lingvam eum transtulit, casus istos consulto omisit.

§. IV.

§. IV.

Neque vero fas est existimare, legislatoribus nostris præter mentem ac intentionem prohibitionem istam excidisse, aut humani eos aliquid fuisse passos, dum nuptiis ob affinitatis vinculum vetitis istam conjunctionem inseruerunt. Quamvis enim communes regulæ, quibus affinitas in sensu juris civilis & canonici æstimatur, casus propositos non comprehendant; licuit tamen legislatoribus nostris ulterius progredi, ac novum affinitatis quasi genus constitutere, nuptiasve prohibere, quibus civilis affinitas non obstat. Imprimis cum gravissimæ omnino adsint rationes, quæ fvadeant hujusmodi tædas prohiberi. Sane plerosque Doctores, qui licitas eas esse tueruntur, confiteri videmus non modo sæpius eas infelices, sed &, si res sit integra, omnino esse dissuadendas. Ex Theologis GERHARDVM nominasse sufficiat Loc. Theol. de Conjug. §. 358. ex JCtis præter eos, quos supra citavimus, HVBERVVM, BROVWERVM, BECHMANNVN, conferri potest MOLRAD. de Matrimonio §. affinitas. pag. 87. CARPZ. Jpr. Confßt. L. 2. Def. 106. num. 12. & quos ille ibi plures n. 13. excitavit. Quidni igitur credamus, quod res ipsa nos jubet credere, rationes istas, quas paſſim Interpretes contra illa matrimonia afferunt, bene perspe&tas cognitasque fuisse Legislatoribus nostris, adeoque de industria eos interdixisse subditis suis hisce nuptiis, quas jure communi permissas esse non ignorabant? Saltim toties repetitæ ac manifestæ satis prohibitiones non permittunt, ut fas sit subditis ultra legem sapere, aut casus expressos ad peregrini juris regulam revocare.

B

§. V.

Rationes
prohibiti-
ones.

§. V.

Ergo in Sa-
xonia E-
lect. absque
dispensati-
one hujus-
modi nu-
ptias con-
trahi ne-
queunt.
Licit dif-
fentire vi-
deatur
Carpzovi-
us.

Atque adeo certum id expeditumque esse puta-
mus, in Electorali Saxonia illicitas incestasque hujus-
modi nuptias esse, ac nisi ipse Legislator dispensave-
rit, nec contrahi, nec permitti posse, imo poenam in-
cestus recte infligi illis, qui non impetrata venia Prin-
cipis hujusmodi conjugatione se contaminant. Quæ
cum ita sint, mirari subit, quare Saxonie ille Papinia-
nus CARPZOVIVS Ipr. Confst. L. 2. Def. 106. ubi caput
hujus quæstionis de nuptiis cum novercæ matre ex
instituto pertractat, non modo nullam legis Saxonice,
cujus nec prohibitonem ignorare poterat, nec auctori-
tatem negligere debebat, mentionem faciat, sed etiam
absque discrimine & sine difficultate eas non prohi-
bitas & nec jure divino *nec positivo* interdictas pronun-
ciet num. 13. nullam dispensationis necessitatem urge-
at, imo contrahentes in licto & legitimo propoſito
non turbandoſ effe tradat. Perinde ac si excusari
possit eorum lubido, qui absque dispensatione legisla-
toris interdictas conjunctiones contrahunt, aut di-
spensationem vel petendi causa deficeret, vel conce-
dendi necessitas Principi incumberet, cuius libero
arbitrio, utrum petentibus matrimonii veniam dare,
an rejicere preces & prohibitas nuptias inire cupi-
entiumque desiderium improbare velit, erat relin-
quendum. Sane præjudicium, quod subjicit CARP-
ZOVIVS Supremi Consistorii Electoralis, cum ab
eo Senatu, qui simul Principis nomine ecclesiasticas
causas liberius moderatur, latam sententiam compre-
hendat, inferioribus judiciis potestatem minime po-
test tribuere hujusmodi conjugium absque Legisla-
toris

toris dispensatione permittendi. Ut causam idoneam omnino nullam habeant, qui CARPZOVII auctoritatem malunt, quam manifestam constitutionem Electoralem sequi.

§. VI.

Quinimo adeo invisa fuerunt legislatori nostro Imo Ordinatio Elec-
nuptiae istae cum novercae matre, ut jure divino quo-
que & naturali eas afferat probiberi. Tantum abest &tor. eas di-
ut aut dispensationem facile concedendam, aut sine cit juri di-
ea illas permittendas esse putaverit. Postquam enim vino repu-
personas, quarum conjugiis affinitatis ratio in linea
recta obstat, & inter eas etiam novercae matrem com-
memoravit, statim subjicit, ab harum nuptiis absti-
nendum esse docet jus divinum, imo & naturale.
Vbi, quod ad legem naturalem attinet, facile ratio Expendi-
Ordinationis Saxonicae reddi poterat, si, quod non tur, an sine
nulli sentiunt, certum satis exploratumque foret, con contra jus
fusionem nominum ac officiorum impedire, quo mi- nature.

nus licite coire queant, qui aliis necessitudinum vinculis obstringuntur. Novimus, hanc rationem etiam urgeri ab iis, qui naturalem incestus in linea re

cta turpitudinem demonstrare laborant. vid. P VEN-

DORF. de Jure Nat. & Gentium L. 6. cap. 2. §. 37. (a)

B 2

Novi-

(a) Eodem argumento AMBROSIVS Epis. 66. nuptias cum fororis filia improbat. Interroga, inquit, nominum religionem, nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. Nec ipse te revocat sonus nominum, cum hic a vum resonet illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat. Quanta denique reliquorum confusio vocabulorum, Idem avus & sofer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diverso nomine nuncupabitur. & reliqua; ac postea. Interdictum enim est natura jure, interdictum est lege,

Novimus etiam iis potissimum has ipsas cum novercæ matre nuptias, quas licitas castasque esse plerique credunt opponi. vid. DN. THOMAS. *Jurispr. divin.* L. 3. cap. 2. §. 227. ut adeo, si eas quoque rationi repugnare dixeris, illorum argumentum majorem veri speciem accipere videatur. Et profecto, si ista de non confundendis nominibus officiisque ratio vim aliquam haberet, si fœda & abominanda foret conjunctio, quæ efficit, ut persona eadem duas pluresve tam contrarias relationes necessitudinesque sustineat, non magis forte alias poteras dicere juri naturali tædas repugnare, quam ipsas has de quibus imprimè agimus. Adeo enim hic appellations miscentur, ut, quod de nefando cum patre concubitu apud Poetam Myrrha cecinit, huc jure possit referri

Non quod confundas & jura & nomina sentis.

Mira sane undique ex hac coniunctione confusio oritur, siquidem, ut ex adjecto liquet scheme filius B. fit patris sui A. fœcer & novercæ C. vitricus. Noverca vero C privigni sui B, privigna & socrus D. matris suæ. Porro pater A uxoris filii sui D simul & fœcer & gener est. Denique ipsa novercæ mater D. filiæ suæ C. nurus instar, mariti patri A. & nurus & socrus loco est, ut alias relationes non minus absurdas, quæ, si ex late-re conjunctos respiciamus, aut si ex tali matrimonio

liberi
quæ in cordibus singulorum &c. nec aliter Basilius Magnus censuit, cuius regulam: ἐν δις τα τὰ γένες συγχέονται οὐόματα, ἐν τέτοις ὄγαμος ἀθεμίτος HOTOMANN. refellit de Cast. Nupt. pag. 110. add. quos citavimus ib. 3. lit. A.

liberi nascantur, ubi nepos aviæ suæ frater existit, & matris ac filiæ liberi sibi invicem sunt patrui, oriri possunt, prætermittamus. Neque omnino deest sen-
tentia huic patronus, siquidem celeberrimus RHO-
DIVS in Diff. de incestu contra naturam. non dubitavit,
inter conjugia jure naturali prohibita has ipsas cum
novercæ matre nuptias referre. c. 4. §. 8. & 16. quoni-
am, ut addit, tota affinitatis series per eas confunda-
tur & consanguinitatis reverentia dehonestetur.

§. VII.

Enimvero ingenue fateor ista omnia mihi, ut Ostendi-
complexum matris novercæ, quam Theologi pariter tur, impro-
& JCti jus civile etiam & Canonicum prorsus pro li- bulum ju-
cito habeant, Juri naturali proprie sic dato repugna- ris naturæ
re existimem nondum satis persvadent. Non hic in Ordina-
repetam, quæ de incestus moralitate in utramque trimoniali
partem disputari solent. Quæ ab iis, qui ex ratione accipi.
ejus turpitudinem demonstrare conantur a GRO-
TIO, VELTHVYSIO, HVBERO, VITRIARIO, no-
vissime a BECMANNO, RHODIO, KAHERO,
KESTNERO, TITIO eam in rem allata sunt argu-
menta notissima ac passim obvia sunt. (a) Neque
minus nota sunt, quæ in contrariam partem a DN.
THOMASIO disputata Jurisprudentia divin. L. 3. cap. 2.

B 3.

(li-

- (a) vid. GROT. de J. B. & P. L. 2. c. 5. n. 12. VELTHVYSIVM
de naturali pudore rubr. de incestu HVBERVVM Digress.
L. 2. c. 17. VITRIAR. ad Grot. pag. 128. BECMANN. Me-
dit. 7. n. 17. RHODIVM de incestu contra naturam. KA-
HERVM de Gradib. probib. tb. 9. KESTNERVM Prudent.
jur. nat. cap. 4. tb. 20. seq. TITIVM ad Pufendorf. Obs. 496.
jung. tamen EVNDEM specim. Jur. Eccles. L. 4. cap. 3.
§. 40. seq.

(licet is novissime, quod ad incestum in linea recta, mutaverit sententiam in Fundamentis jur. natur. *ad L.3. c.2. num. 37.*) & BECMANNO fuerunt opposita a MAGNIF. PRO-RECTORE Dn. BEYERO *Disput. de Dispensatione circa matrimonium th. 47.* KVLPISII novimus eam esse sententiam, dari gradus conjunctionum lege naturali prohibitos, licet quinam illi sint & quo fundamento eorum turpitudo nitatur, non sit satis expeditum *Coll. Grot. Exerc. 4. tb. 7. lit. Z. pag. 58.* Sed non opus est eo ut digrediamur, aut utriusque partis argumenta expendamus, id nobis, quod plerique dabunt, sufficit, solam, quæ a nominum & officiorum confusione oritur, rationem non efficere, ut jure naturæ matrimonium interdictum habeatur. conf. AVGVSTIN. *de Civitate DEI L. 15. cap. 16.* (a) Miscentur & officia confundunturque, quoties Rex subditam ducit & magis si Regina subdito nubat, si pupillam tutor sibi jungat, si servus dominam, sicuti nomina simul officiaque turbari videntur, quando ex duobus fratribus unus matrem in thorum sibi asciscit, alter filiam. vid. HOPP. *Commentar. ad Inst. l. c. pag. 100.* nec tamen quisquam, quod norim, creditit, hujusmodi nuptias lege naturali vetari. (b) Ergo nec cum novercæ matre conjungium

- (a) Vbi ostendit, nominum quandam ac officiorum quasi confusionem in nuptiis liberorum nepotumque Adami ortam videri. Quas tamē ideo juri naturali repugnasse non aūsim affirmare. Sed vide sis quæ ad istum locum annotavit COQUEVS verb. *virisocrus p. 208 seq.*
 (b) Licet Orientalis Ecclesia eas quoque improbabile videatur. conf. HOTOMANN. *l.c. pag. 105.*

gium illo jure simpliciter interdici puto, licet ratio naturalis pudorque ac honestas svadeat, ut ab iis abstineamus. add. l. 14. §. 2. & 3. l. 42. ff. de Rit. Nupt. & HVBER. Präl. ad Inst. 4. de Nupt. pos. 15. Imo nec aliter, puto, voluit legislator noster intelligi cum gradus, quos recenset in ordinatione allegata nequidem juri divino positivo singuli nedum naturali repugnant, quod ex exemplis ipsorum patris & filiae aliisque, quae ibidem adseruntur, appareat. Saltim si vocabulo juris naturalis in aliqua latitudine eum usum esse dixerimus, nec aberratueros nos a vero, nec ipsi id a quocquam vitio verti posse confidimus. Neminem latet quam παχυλῶς & impropre ea voce jus Romanum & Canonicum utantur, quorum illud jus naturæ omnibus animantibus tribuit. in princ. Inst. de Jur. Natur. Gent. & Civ. hoc jus naturale esse, quod in lege & Evangelio contineatur, tradit can. 1. dist. 1. æquitatem vero rationemque naturalem plerique etiamnum appellatione legis naturalis complecti solent. Quidni ergo existimemus in ordinatione matrimoniali, quæ ad gradus jure divino prohibitos se refert voce juris naturalis omnes omnino Dei leges universales exprimi & comprehendendi. Imprimis cum satis constet, eo tempore, quo sanctio præstantissima lata fuit, omnes leges divinas, quæ non ad rem publicam Judaicam tantum pertinent, sed omnes homines obstringunt, absque discrimine ad naturale seu morale jus vulgo relatas, adeoque hoc nomen etiam eas, quas positivas appellamus, fuisse complexum.

§. IIX.

Ergo de jure divino universalis eodemque reve- Jure divi-
lato no tamen

positivo u- lato dispiciamus, quod quidem non ex ratione, sed
 niversali ex revelatione sola nobis innotescit, perinde tamen
 has nuptias prohibitas, omnes homines ac ipsa lex naturæ obstringit. Dari
 quod Or- autem hujusmodi leges divinas, quæ ad omnes æque
 dinatio ma- gentes pertineant, licet ratio sibi relicta earum vim
 trimonialis innuit re- non assequatur, tantisper licebit supponere, in primis
 ète asseri- cum existentiam earum dudum (a) fatis evicerint alii
 tur. (b) ac propositæ brevitatis ratio solvendis, quæ in
 contrariam partem a nonnullis (c) moventur dubiis
 me

(a) Imo jam ANTON. CONTIVS Lett. subf. L. i. c. 2. pag. 121.
 agnoscit leges Mosaicas, quæ haud secus omnium homi-
 num vitam constringant, quam ipse decalogus, licet sen-
 tentiam suam ad eas restringat, quæ ad decalogi interpre-
 tationem pertinent, ac genuinam rationem & indolem ju-
 ris positivi universalis ignorasse videatur.

(b) Dari jus divinum positivum universale ex Theologis a-
 gnoscent DANHAVERVS, SCHERZERV, OSIANDER,
 ALBERTI & BVDDEV. Et JCTIS KVLPISIVS ansam
 reliquis præbuuisse videtur in naturam ac indolem ejus ac-
 curatus inquirendi. Ex instituto deinde præcepta, quæ
 huc pertinere videbantur, tradidit DN. THOMASIVS in
Jpr. divin. Historiam ejus adornavit DN. LVDOVICI No-
 visimè plenius potissima juris illius capita peculiari disser-
 tatione exposuit WEBERV. add. MAGNIF. DN. BEYE-
 RI *Diff. de Dispensat. in grad. probib. & Tr. de Jur. Sabbath.*
 DN. MENCKEN. *Controv. Jur. Nat. & Gent. Diff. i. tb. ult.*
 SCHILTER. *Inß. Jur. Canon. L. i. t. 2. §. 1.*

(c) Primum dubia nonnulla contra existentiam legem divi-
 narum positivarum universalium in medium proposuit
 BRVCKNERVS. add. VITR. *ad Grot. pag. 5.* Sed & qui
 anteas eas strenue asserverant, in contrarias dein partes di-
 scesserunt, quos modo commemoravimus. D. BVDDEV
 & D. THOMAS. hic in fundamentis juria N. & G. ille in
Historia Jur. Nat. quam opusc. J. N. & G. præmisit.

ime immorari haud patiatur. Prohibitiones certe pleræque graduum, quæ *Leviticorum* 18. exprimuntur, nos hodieque tenent ac gentes quoque olim cæteras obligarunt, (a) quod clausulae, quibus legislator Deus hujusmodi conjunctiones sibi abominabiles esse, ac propter eas gentes se extirpasse ostendit, omnino evincunt, & tamen singularum prohibitionum causas idoneas reddere nequit ratio, in primis cum fratribus fororumque olim necessitas exegerit conjugia, ac multo minus in reliquis conjunctionibus eorum, qui in remotiori gradu constituti sunt, turpitudo naturalis possit demonstrari. Quare cum universales DEI leges positivas dari, atque caput doctrinæ, quod de incestu agit, eo pertinere plerique concedant, id solum superesse puto, ut, utrum *Levit.* 18. quæ propositæ sunt leges connubiales Divinæ, concubitum cum novercæ matre prohibeant, ulterius inquiram.

§. IX.

Evidem, si qua ratione *privignæ filiam* ducere non quidem ob prohibemur, eadem etiam novercæ matris conjugium interdictum posset censeri, non difficile foret ostendere, leges divinas universales huic conjunctioni obstat. Nominatim enim cavit sapientissimus Legislator, ne quis ad privignæ natam neptene accedat. Verum supra contra rem p. cit. cap. *Levit.* XVIII. comm. 17. HOTO MANVM ostendimus, diversissimas plane utriusque casus esse causas, adeoque ab uno ad alterum minus recte inferri. Neque parentelæ respectus hic subesse videtur, quem alias divinæ quoque

C leges

(a) Consentient communiter, Dist. DN. THOMAS, in Fundament. ad l. 3. cap. 2. §. 37. p. 180.

leges inter impedimenta legitimarum nuptiarum referunt, ut quoties una persona parentis locum subeat, liberorum rationem altera habeat, jure coire nequeant, sicut ex recepta communique Doctorum sententia, licet alii relationem hanc tantum in casibus lege expressis aut in personis in eodem gradu constitutis nuptiarum legitimarum impedimentum esse putent. M E V. P. 3. Dec. 399. n. 3. S T R Y K. ad Brunnenm. Jus Eccles. L. 2. c. 16. §. 21. verb. si respectus parentele. Nam quo minus hoc argumento nisi liceat, ea nobis obstat ratio, quod inter eos, qui nec consanguinitatis, nec affinitatis vinculo conjunguntur, quod inter consangvineos inquam mariti & uxoris nullus quoque parentum & liberorum respectus, qui sine communi stipite intelligi nequit, possit intercedere, adeoque nisi evincatur, inter istas personas affinitatem aliquam juris divini contractam censerri, argumentum, quod a parentalı respectu repetitur, frustra pro impediendo hujusmodi conjugio allegabitur.

§. X.

Sed ob te-
xturn Le-
viticor. 18.
comm. II.

Forte itaque non modo naturalia jura, sed & di-
vinas positivas leges concubitum cum novercæ ma-
tre permitttere dixeris. Videtur ita sane ac plerisque
ita omnino visum est, (a) sed videtur tantum. Ego
nondum puto, causas adesse, cur non modo a dispo-
fitio-

(a) Nominatim GERHARDVS eo, quem supra adduximus
loco §. 358. nullam juris vel divini vel humani prohibitio-
nenm his nuptiis obstare, sed planam ac plenam esse con-
cessionem, ait. Similiter CARPOZOVIVS Jur. Eccles. L. 2.
Def. 106. n. 5. & 13. negat, extare de iis juris divini pro-
hibitionem.

sitione legislatoris nostri, quæ manifesta satis est, sed etiam a ratione hujus dispositionis, quæ ad divinam prohibitionem se refert, recedamus. Atque licet de hoc conjugio nihil quicquam in specie cautum esse, facile concedam, vim tamen ac rationem legis divinæ, puto, eo pertinere. Facit, ut in eam opinionem deducar *Levit. XIIIX. comm. ii.* quo filiam uxoris patris ducere vetamur, quem locum haud paucos de comprivignorum matrimonio accipere, constat. Enimvero eos, qui comprivignorum illicitas esse nuptias concedunt, hanc quoque conjunctionem non posse non improbare, firmissime sum persuasi.

§. XI.

Aetum agerem, si illistris satis controversia, Quo com-
quæ de comprivignorum, quos Græci ἀληπογόνος privigno-
rum nupti-
appellant, matrimonio iner Theologos pariter ac as prohibe-
JCtos dudum agitata est, fata repetere, aut utriusque ri, proba-
partis argumenta commemorare, vel expendere co-
narer; nec instituti mei ratio eo me digredi permit-
tit. Exhibuit sumnam rei velut in nucleo non ita
pridem peculiari opusculo Magnificus Ordinis JCto-
rum in hac Academia Praes, ac solide & erudite ra-
tiones in varias partes discedentium Doctorum re-
censuit & dissolvit, ostenditque, admodum probabi-
lem saltim esse eorum hypothesin, qui de comprivi-
gnis illud *Leut. 18. comma* accipient. In quam sen-
tentiam ex JCris fere primus ANTON. MATTHÆVS
concessit, quem deinceps VVissenbachius,
THOMASIVS aliisque plures secuti sunt. Quare li-
cet sint, qui de consanguinea forore textum accipi-
ant, dicet ingeniosa satis Clarissimi VALANDI conje-

C 2

Etura,

Etura, qua de novercæ liberis, quos ex matrimonio post mortem patris celebrato suscepit, hunc locum interpretatus est, possit videri. vid. *Dissert. Ejus ad istum textum add. STRYK. ad Brunnem. Ius Eccles. L. 2. cap. 16. ad §. 21. verb. de Matrimonio comprivignorum. jung. can. 3. can. 4. XXXV. q. 10.* tutissimum tamen est, hanc comprivignorum conjunctionem pro vetita & incesta haberet, cum in re dubia satius sit evitare incestus periculum, ac abstinere a coniugio, quod dubium sit, an legi divinae universali repugnet; in primis cum ipso adversæ partis patroni fateantur, connubia ejusmodi dissuadenda esse atque impedienda.

§. XII.

A quibus
ad nuptias
cum no-
vercæ ma-
tre restæ
infertur.

Neque vero difficile erit ostendere, a comprivignorum nuptiis recte ad conjugium cum novercæ matre inferri, ut mirari potius subeat non deesse, qui cum illas interdictas agnoscant, has tamen licitas esse existimant. vid. Dn. THOMAS. *Jurisprud. divin. L. 3. cap. 3. §. 151. seq. jung. L. 3. cap. 2. §. 228.* Quæ enim est comprivigna mea? nonne vitrici aut novercæ meæ filia. Ita omnino adjectum ostendit schema.

Quod si itaque novercæ filiam lex in matrimonio habere prohibet, nonne multo minus novercæ matrem ducere uxorem permittet? Vtriusque conjugii sane eadem esse ratio videatur. Quare ut hoc obiter hic adjiceatur, reliceat, non male omnino ex Ordinatione Electorali colligas, etiam comprivignorum nuptias jure nostro incestas haberi. Nam licet ordinatio matrimonialis nec comprivignæ, nec novercæ filiæ meminerit, adeoque



An Jure
Sax Elect.
conjugia
comprivi-
gnorum
sint prohi-
bita?

eoque vulgo Doctores nostro jure non minus quam civili cum iis permisum esse conjugium contendant. vid. RICHTER. Vol. 2. Consil. 462. p. 1313. BECHMANN. Exot. Exerc. Tom. 2. Ex. 3. num. 60. seq. pag. 77. ipse quoque CARPOZOVIVS in ea sit sententia. Jurispr. Eccles. d. L. 2. Def. 104. eandemque præjudiciis confirmet; attamen cum novercæ & vitrici matrem nominatim in coniugio habere interdicat Serenissimus Ordinationis Matrimonialis conditor, non opinor aberraturos eos, qui simili ratione etiam novercæ & vitrici filias duci non posse, contendant, in primis cum & legis divina dispositio & rationis paritas hic interpretationem extensivam omnino exigere videatur.

§. XIII.

Sed ut revertar, unde digressus sum, ac liquido In quo gra- ostendam, prohibitionem divinam, siquidem de com- du com- privignis ea agat, etiam ad novercæ matrem pertine- privigni fuit nobis re, paucis demonstrabo, non modo in eodem gradu conjuncti, istas personas constitutas esse, sed & eandem, imo in eodem majorem fere rationem adesse, cur novercæ matris mater con- matrimonio , quam cur comprivignæ conjunctione stituta. abstineamus. Vtraque persona a noverca & per no- vercam nobis jungitur ipsa, noverca per patrem, sic- uti itaque novercæ comprivigna in primo gradu jun-cta est, si ab ea ad filiam descendas, ita si ascendas, in eodem gradu novercæ mater occurrit. Cæterum ea constans satis est interpretum, qui has leges divi- nis exposuere, Theologorum in primis ac JCTorum nostrorum sententia non solas personas, quæ Leviti- corum 18. commemorantur, sed & gradus sive eas quoque, quæ in eodem gradu constitutæ sunt, per- sonas

sonas simul prohibitas censeri. BRVNNE. *Jur. Eccl. L. 2. cap. 16. §. 26.* STRVVIUS *S. J. C. Exerc. 29. tb. 37.* quemadmodum non ita pridem ad consultationem C. F. M. April. hujus anni ex eadem ratione respondit amplissimus Ordo JCtorum, nuptias cum avunculi vidua jure divino prohibitas videri, adeoque ne quidem dispensatione Principis posse permitti; cuius quidem responsi quæ hoc pertinent verba pace lectoris subjicimus. Ita vero illa: Wenn nun gleich die Ehe mit der Mutter Bruders Witben in denen göttlichen Gesetzen mit ausgedruckten Worten nicht verboten/und nach einiger Rechts-Lehrer Meinung die Leviticorum 18. verbothenen Ehen ad casus similes nicht zu extendiren.

vid. RICHT. Vol. I. p. 2. Conf. 2. n. 14.

Dennoch aber/ und dieweil in dem angezogenen c. 18. Levit. in dem 14. vers die Ehe mit des Vaters Bruders Weibe ausdrücklich untersaget wird / und die darin enthaltene prohibitiones nicht auf die dazselfst erzählte Personen zu restringiren/ sondern auch auf diejenigen/ welche sich in eodem gradu befinden/ ebenmäig zu ziehen sc.

CARPZ. Jur. Conf. L. 2. Def. III.

& profecto parum conscientiae consulunt, ac infelicitter in explicandis divinis legibus versantur, qui verbis inherent & casus plane similes, quos singulos recensere non necesse fuit, comprehendi negant, cum in humanis constitutionibus, ubi eadem plane ratio est, idem jus obtinere concedant. Quæ quidem eo pertinent omnia, ut a novercæ filia, id est a compri-vigna

vigna ad novercæ matrem in eodem gradu constitutam recte concludi evincam.

§. XIV.

